

538
1931
875

ZOOGRAPHIA

ROSSO-ASIATICA,

SISTENS

OMNIUM ANIMALIUM

IN EXTENSO IMPERIO ROSSICO

ET

ADJACENTIBUS MARIBUS OBSERVATORUM
RECENSIONEM, DOMICILIA, MORES ET DESCRIPTIONES,
ANATOMEN ATQUE ICONES PLURIMORUM.

AUCTORE

PETRO PALLAS,

EQ. AUR. ACADEMICO PETROPOLITANO.

V O L U M E N T E R T I U M .

P E T R O P O L I

IN OFFICINA CAES. ACADEMIAE SCIENTIARUM IMPRESS. MDCCCXI.

EDIT. MDCCCXXI.

1831-

parandae. Anne sunt hae *Lacerta vulgaris* *Lin. syst. XII. I. p. 370. n. 42?*

Not. *Lacerta* in genere Tataris Abacanensibus *Kolerskoe*. Samojedis *Fassü*; Taiginzis *Taansche*. Arinzis *Tunungae*. Buraetis *Guemerae*. Tungusis *Ischella*. Camtschadalis *Schudschudsch*.

25. LACERTA *taurica*.

L. cauda longissima verticillata, dorso fasciato maculato medio viridi, ventre loricato fulvo.

Tataris *Iessertkoe*.

In rupestribus ardentissimis orae meridionalis montosae Tauriae olim ubique frequentissima, sed nunc post triennii aestates pluviosas et frigidas (annorum 1803 — 1805.) rara facta. Etiam ad Caucasum observata, cursu velocissima, ut sagittae ab arcu explosae similis feratur, et vix videatur pedibus uti. Latebras inter saxa, in fissuris rupium et cuniculis murium derelictis quaerit; sed primo statim vere apparet, in serum usque autumnum agilis. Primo anno ventre vix flavescit; adultae omnes subtus fulvissimae. Fragilitate caudae cum *L. europaea* convenit et detruncatam appendice lumbriciformi sensim reficit.

Descr. Persimilis *L. europaeae*, sed gracilior, cauda longiore. *Caput* simile, sed argutius, livido-gryseum, subtus album, lateribus fusco-maculatum. *Collare* insigne e squamis octo vel 7. *Venter* quadruplici ordine squamarum loricatus, medio longitudinaliter fulvus, utrinque punctis nigris stipatus. *Supra* corpus gryseum, vel glauco-cinereum, fascia a cervice utrinque triplici olivacea, maculis multiformibus nigris concatenata, quarum duplex series, usque ad dimidiam caudae longitudinem, continuatur. Medium dorsi interval- lum antice cum parte cervicis, *viridissimum*. *Femora* subtus sutura

e punctis callosis circiter 18. insigni carinata. Artus concolores corpori. *Cauda* subtus fulvescens, dupla longitudine corporis, squamis annularibus, serrulatis verticillata. *Palmae plantaeque* pentadactylae, digitis annulatis, acutissime unguiculatis, ut in verticali politissimarum rupium facie facile discurrat. *Pollices* breviores, discolores, fulvescentes. — In junioribus maculae obsoletiores, strigae dilutae magis conspicuae, fulvedo subtus debilis vel nulla. — Adultae longitudo tota 6". 8". capitis 7". colli 4". caudae 4". 2½".

Not. In Sibiria inveni aliquoties *Lacertam* olivaceo-cineream, ventre et basi caudae fulvis, nigro punctatis, sed aliis obrutus negotiis accuratius non descripsi.

26 LACERTA *variabilis*. TAB. V. fig. 5. 6.

L. cauda verticillata, ventre confertim loricato, dorsi fasciis transversis nigris, albo ocellatis.

Lacerta arguta, *Pall. itin. II. p. 718. n. 40. Gmelin. syst. Lin. III. p. 1072. sp. 65.*

?*Lacerta ocellata*, *Foraskaol. faun. arab. p. 13. n. 4. Gmelin. syst. Lin. III. p. 1077. n. 73.*

β. *Lacerta velox*, *Pall. itin. I. p. 457. n. 12. Gmelin. syst. Lin. III. p. 1072.*

Lacerta deserti, *Lepech. I. p. 317. tab. 22. fig. 4. 5. Gmel. syst. p. 1076. n. 71.*

In deserto Tatariae magnae totius a mari caspio usque ad Obum satis frequens, coloribus elegantissime varians, telo velocior, in aridis glareosis praesertim vivens.

Descr. Caput singulari ratione scutellatum, ut scutella in medio vertice, praeter duo majora occipitis, referant florem tetrapetalum, cujus petala, sulcis interstincta, duo biloba supra orbitas, et